



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R.P. Francisci Arias, Societatis Iesv Theologi, De Oratione
Mentali Et Mysteriorvm Vitae D.N. Iesv Christi &
benedictae Matris eius meditatione**

Arias, Francisco

Coloniae Agrippinae, 1616

XX. De mediocritate quæ in communione tenenda est, ne quis excedat,
vel contra necessariam reuerentiam peccet, & quomodo iudicium docto
Confessario relinquendum sit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48934)

fieri Deus voluit, diuinam suam esse voluntatem, vt omnes sui Serui sanctiss. Sacramentum sæpius accedentes, doctorum virorum hac in parte consilium securè amplectantur, illisque acquiescant: siquidem Sancti eandem rationem tenuerunt, quam Deus comprobauit.

CAPVT XX.

De mediocritate quæ in communione reuerenda est, ne quis excedat, vel contra necessariam reuerentiam peccet, & quomodo iudicium docto Confessario relinquendum sit.

Quemadmodum aliqui in magnum animarum suarum præiudicium (vti supra dictum est) frequentem Communionem omitunt: ita etiam ex altera parte quidam excedunt, volentes sæpius, quam conueniat, mensam Domini accedere. Nōnulli ad hoc faciendum incitantur, propter communem opinionem & existimationem utilitatis, quæ in S. Communionem percipitur: Alij propter consolationem & suauitatem, quæ alias

alias in suauissimi huius Sacramenti perceptione senserunt: ceteri ex leuitate, cum alios imitari cupiunt, ut bonam opinionem de se conceptam conseruent, ne alijs virtutibus minus ornati putentur: propterea aegre ferunt, conqueruntur, atque ex impatiētia irascuntur, cum ipsis Communio denegatur, quod signum apertum est, eos non bono zelo, sed ex leuitate ad hoc impelli. Quare huius capituli doctrina omnibus istis utilis erit: quia res magni momenti est, & ad gloriam Dei vergit, cum in hoc sacro exercitio iusta ratio, absque vlla extremitatum transgressione seruari potest.

Quod ad primum attinet, certum est seculares siue virilis, seu foeminei sexus sint, in hoc nulla ratione opinionem suam, voluntatem, consolationem, vel inclinationem sequi, sed consilio & directioni atque iudicio sui Confessarii parere debere. Nam si Religiosae vitae institutum, & obedientiam quam Superioribus exhibent, terminum & mensuram obseruandam posuit; aequum est, ut ijs qui nullam priuatam Religionem profitentur, Confessarius ipsorum animarum notitiam habens, regulam quam sequi debent prescribat. Quem autem ad hoc eligent, doctus, expertus, & pius erit, ne poenitentis

I

con-

ca
vi
16

consolationem, sed quicquid ad honorem, obsequium Dei, & animarum salutem convenientius est, spectet. Nec penitentiam importunitate, precibus vel aliorum rationibus studebit Confessarium in suam sententiam pertrahere (hoc enim modo non ei, sed ille ipsi morem gereret, iudiciumque ac Patris spiritualis consilium superuacaneum esset) sed illius arbitrio se committet, ut quod ipsi secundum Deum magis expediens erit, prescribat, manifeste declarando, se iudicio illius acquieturum. Caueat ergo ne Confessarium hac in re sibi blandientem quaerat: Nam ob hanc peruersam inclinationem, Deus ipsum in errorem labi permittet, uti nonnullis accidit, qui plures Confessarios consulunt, ab uno ad alium recurrentes, & aliquem inuestigantes, qui auribus suis consentanea dicat; Cum autem talem inueniunt, solus ipsis placet, omnibus alijs antepositur: At falluntur, quia voluntatem Dei relinquentes, suam sequuntur.

Vt igitur Seruus Dei hac in parte securus sit; necesse est propriam eum voluntatem atque opinionem contemnere, & solum in se diuinæ voluntatis perfectionem desiderare, quod ad
 seq.

seruiendum illi conuenientius est. Pre-
 terea Confessarij sui Ordinarij consi-
 lio vtatur: qui si non satis idoneus vi-
 deatur ab alio consilium postulet, non
 quia sibi magis blanditur, sed quod Do-
 ctorum iudicio in illo prudentia &
 discretio necessaria reperitur. Oret
 Deum, quatenus in os & cor Confessa-
 rij sui eiusmodi consilium immittat,
 quod ipsum ad sanctam suam seruiru-
 tem, quantum fieri poterit, directissi-
 mè ducat, & ad maiorem Dei honorẽ,
 animarumq; salutem vergat. Hoc per-
 acto, magna cum tranquillitate & obe-
 dientia consilium quod dabitur susci-
 piet, confidendo Deum, quando aliud
 ipsi magis expediens fuerit, Confessa-
 rio tunc suggesturum.

Lurgardis religiosa erat, singulisq;
 octo dieb' communicare solebat, pro-
 ut ei S. August cõcesserat. Cùm autem
 Abbatisa eius nimium esse arbitrare
 tur, præcepit ei, ne tam sæpè ad mēsam
 Domini accederet, lubenterq; obtem-
 perauit: sed Deus diuina permissione
 effecit vt Abbatisa intelligeret suam
 esse volūtatē, virginem illam sanctā,
 talem consuetudinem continuare: Ita-
 que comunicandi licentiam recepit,
 cuius antea frustata erat.

*Thomas Cā-
 tiprat. in vi-
 ta eius.
 Sur. 713. 417.*



*De Regulis quas Sancti circa sacrae Commu-
nionis usum praescribunt.*

Quia Confessario iudicandum esse ostendimus, quoties in mense aut hebdomada Seruus Dei salutis suae studiosus, ad sanctiss. Eucharistiae Sacramentum accedere possit; nobis iam regulae proponendae sunt, quas Sancti praescribunt, ut idem intelligat, quid sequi oporteat.

Res magni momenti est, hunc nodum appositè declarare, nec palpando, sed lumen solum à Deo nobis infusum sequendo tangere. Certissimum autem est Deum velle, ut in sacrae Communionis frequentatione mediocritas obseruetur, nec pro cuiusque voluntate ad eam accedatur. Hac voluntatem manifestauit, cum S. matri Ecclesiae suggestit, ut sub mortalis peccati poena praeciperet, ne vel Sacerdos vel Praelatus aliquis, quantumuis sanctus plus quam semel in die celebraret. Causa vero, cur hoc ordinauerit est, (ut Alexander Papa ait, Doctoresque confitentur) singularis & maxima reuerentia sanctiss. Sacramento debita, postulans, ne homo quotiescunque voluerit accedat. Si ergo in sacro faciendo & sub illo communicando, quod ad utilitatem totius

Ec-